

DESIDERIA MATHEMATICA

NOV-ANTIQUA,

AD

# THESEOS

INTEGRAM

CONSTITUTIONEM, HISTORIAM  
ET CVLTVM

SPECTANTIA

EXERCITATIONIBVS ACADEMICIS

ERUDITORVM EXAMINI  
IN CATHEDRA PVBLICA

A

PRAESIDE

D. IO. GEORGIO LIEBKNECHT,

MATH. PROF. PVBL. ORDIN. NEC NON ACAD.

CAESAR. AC PORVSSICAE COLLEGA,

ET

RESPONDENTE

CAROLO GOTTFR. GEILFUSIO,

HASSO-D'ARMSTADINO,

CIC 15 CC XXI

D. XXVI IVL.

PROPOSITA.

Coll.diss.A.

69, 16

GIESSAE,

Typis IOANNIS MÜLLERI.

a. LXIX. 16.

VIRO  
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO  
ATQVE EXPERIENTISSIMO,  
DOMINO  
IO. CHRISTOPHORO  
HERTIO,  
MEDICINAE DOCTORI  
ET EIVSDEM  
IN ACADEMIA GISSENA  
PROFESSORI PRIMARIO, LONGE LATEQVE  
CELEBERRIMO,  
EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI  
ELECTORIS MOGVNTINI,  
NEC NON  
SERENISSIMI  
LANDGRAVII HASSO-DARM-  
STADINI  
CONSILIARIO ET ARCHIATRO PRIMO,  
FELICISSIMÖ,  
PATRONO SVO OPTIMO,  
EX SINGVLARI OBSERVANTIA  
ET SVBMISSIONE  
EXIGVVM HOC ET PRIMVM  
INGENII SPECIMEN  
DICAT DEDICAT  
OMNI OBSEQVIO DEDITISSIMVS  
CAROLVS GOTTFRIED. GEILFVS,  
LL. CVLTOR.





## EXERCITATIO PRIMA.

### PROOEMIVM.

**D**Esiderare, an a sideribus, vt FESTVS innuit, an aliunde adpelletur? aliis disquirendum linquimus: sufficit vocabulum ipsum vel idem esse ac *rogare*, *postulare*, vnde ζητηματα, αιτηματα mathematicorum; vel *opus habere*, vel *mittere*, ceu quidem desiderati in prælio milites CAESARI *Bell. Civ. c. 31*, dicuntur amissi, vel *quaesitare* ea, quæ desunt, vel minus recte adsunt, denotare.

#### DESIDERIVM I.

Est inter ejusmodi desideria præsertim Historia Mathematica in *genere* talis, quæ nullibi plane, nec vilibi vere prostat, & *specialis*, de qua alia occasione sermo erit.

#### II.

De *Nomine MATHESEOS* non conveniunt scriptores, adhuc minus de *Origine*, minime omnium de *Fatis* ejusdem.

#### III.

Bene BASILIVS magnus in *Orat. de legendis Gentil. libris c. 5*, omnes scientias humanas vocat μαθηματα τὰ ἔξωτα; quanquam & Christianismi principia τῶν Χειρονῶν μαθημάτων

*μάθησις ἀναίμηντος*, nomine ab ipsis ecclesiæ Patribus salutentur, teste  
**IVST. MARTYRE** in sua ad Senatum Rom. pro Christianis  
*Apol. fol. m. 33.*

## IV.

*Μάθησις ἀναίμηντος*, periculosa est Platonicorum vocifera-  
 tio, quam ARNOBIUS lib. II adu. gentes, AVGVSTI-  
 NVS de Trinitat. lib. XII, c. XV, TERTVLLIANVS de anim.  
 & ne ARISTOTELES quidem admittere potuit Analyt. po-  
 ster. lib. I, e. I, lib. II, c. 18.

## V.

Vtrum igitur a facilitate Matheſeos, quasi nobiscum  
 natæ, nomen, an a difficultate, ceu nonnulli volunt, de-  
 riuandum fit? per se conſtat \*: imo illam ita ob quanti-  
 tatiuam & maxime euidentem rationem vocatam fuſ-  
 ſe, quis dubitat? Vnde CASSIODORVS \*\*, *Mathemati-  
 cam*, inquit, *latino sermone possumus adpellare doctrinalem, quo  
 nomine licet omnia doctrinalia dicere valeamus, quacunque do-  
 cent: hæc ſibi tamen commune vocabulum propter ſuam excellen-  
 tiā proprie vindicauit.*

\* Conf. Dn. Praefidis diſſertatio de Matheſi Patrum I.  
 Ienæ hab. c. 1000, §. VII, ſeqq.

\*\* *de arte Grammat.*

## VI.

Sic etiam illi, qui pueris Matheſin addiſcendam ſua-  
 dent, id ſuum confilium male ex A. GELLII loco notissimo  
 lib. I noēt. Attic. c. 9, p. m. 22 afferunt: quia ibidem ἀναγιγγὶ<sup>1</sup>  
 ab illis, qui dicti deinceps Φυσικὶ, omnino diſtinguuntur. Et  
 res eſt per ſe clara. Nam licet Matheſis circa quanta ver-  
 fetur, maximam partem palpabiliæ; non minori tamen anti-  
 quitatis veritate conſtat, *Matheſin acuere debere ingenium,*  
 non memoriam; ſicque demum diſcentium, *memoria corro-  
 boratorum, firmatorum, ingenium eo vrgere, vt judicium*  
 per-

perficiatur: id quod demum ex Physicorum optimorum & Moralistarum sententia hominem maxime notat, probat.

## VII.

JOSEPHVS lib. I Antiq. c. 3 Cainum simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis mensuris & ponderibus immutasse, porro ibidem hunc primum refert, agrorum terminos fixisse. Quæ si ita sunt, nemo amplius vulgari sententiae accedit, & Geometriæ Originem solis Aegyptiis adscribet, apud quos, si cuius portionem, uti HERODOTVS ait\*, alluum flumen decurtaasset, is adiens regem, rei, quæ contigerat certiorum faciebat; rexque ad prædium inspiciendum mittebat, qui metirentur, quanto deterius factum esset &c. atque hinc Geometria orta videtur in Græciam transcendisse.

\* Lib. II, p. 128, 129, quocum STRABO consentit lib. XVII, p. m. 542, & Nilum recte hunc fluuium putat.

## VIII.

MECHANICAM, an recte a Herme siue Mercurio inventam dicamus cum DIODORE SICVLO \* & aliis? denuo JOSEPHVS refringere videtur; qui Cainum dicit simplicem hactenus vivendi rationem, excogitatis MENSVRIS & PONDERIBVS, immutasse. \*\* Ita in aliis occasione alia scientiarum Mathematicarum originibus, falso creditis, non nulla desiderabimus, scitu non indigna. Neque tamen certo nos in hisce proponendis & publice ventilandis, tempori, loco aut numero allegari volumus.

\* Lib. V, p. m. 341.

\*\* Lib. I Antiq. c. III, ubi μέτρων ἐπιβολαινηγή σαθμῶν vocat.

## IX.

De Adamo quoque & Setho, περὶ τῆς τεγένειας καὶ τῆς τεταρτοῦ διάκοσιον επενόντων idem autor \* dicit, i.e. illi sideralem scientiam ac rerum cœlestium cognitionem excogitarunt. Id quod veritati rerumque circumstantiis convenientius est, quam

quam aliorum more Atlanti, illi Mauritaniae regi obscuro \*\*  
vel Zoroastri \*\*\*, tum egregiam artem adscribere.

\* *Antiq. lib. I, c. 3.*

\*\* PLINIO sic statuente *lib. VII, c. 56.*

\*\*\* PLIN. *lib. XXX, c. 1.* conf. ALEXAND. SARDVS, Fer-  
rariensis, qui idem in rario libello I de rerum  
inuentoribus p. 13, talesque complures adducit fa-  
bulosos autores.

## X.

Mathematica quatuor olim complectebatur disci-  
plinas, Arithmeticam, Geometriam, Musicam & Astro-  
nomiam, juxta CASSIODORVM \*; plures tamen alii nu-  
merarunt scientias, de quibus alibi.

\* *In Arte Gramm.*

## XI.

Hisce a Cl. VVOLFFIO & aliis merito XV aliæ ad-  
duntur; & quia de Matheseos objecto fœcundissimo, quod  
quantitas est, seu quantum in concreto, dici potest:

: *Ad summum nondum est culmen producta Mathesis,*

*Non perstat, sed quo progrediatur, habet,*  
ideo vigesimam partem, nempe PYROMETRIAM, & id  
quidem ex singulari nostri æui Mathematicorum ornamenti  
G.G. LEIBNITII suasu, propediem addemus \*.

\* Notationis huius & augmenti ratio ita se habet: Pyrometrica  
seu ignis mensurandi & intendendi nouum & gene-  
rale specimen d. xvii Oct. cīc 15 cc xiv ventila-  
vimus, de quo laudatus LEIBNITIVS in literis ad  
me d. ix Sept. cīc 15ccxvi datis, sequentia inter  
alia scribit: *Pene oblitus eram elegantis tui speci-  
minis pyrometrici, quod scripsisse videris, cum non-  
dum Gallicus liber, inscriptus, Mechanica ignis, in  
manus tuas venisset. Videris tua dissertatione fun-  
damenta theoretica praxium pyrometricarum jacere  
voluisse; quibus utile erit, ut aliquando noua dis-  
sertatione τὰ πεγγυαλκωπεγγ subjungas &c.*

## XII.

## XII.

Optime CICERO \*, artium ac scientiarum origines exponens, *Omnia fere*, inquit, *qua sunt conclusa nunc artibus, dispersa & dissipata quondam fuerunt*: ut in *Musicis*, *numeri, voces, & modi*: in *Geometria lineamenta, formae, interualla, magnitudines*: in *Astrologia cœli conuersio, ortus, orbitus, motusque siderum*: in *Grammaticis, poetarum pertratatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam sonus*: in hac denique ipsa ratione dicendi, exco-  
gitare, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quondam omnibus & diffusa late videbantur. Adhibita est igitur ars qua-  
dam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum Philosophi adsumunt, qua rem dissolutam, diuulsamque conglutina-  
ret, & ratione quadam constringeret.

\* Lib. I de Orat. §. 187.

## XIII.

Quod si vero ita reuera inuentæ sunt artes & scientiæ, cur non eandem in perficiendo istarum cultu hodie obser-  
uamus rationem? ecce non fidicines imitamur? qui antequam ad harmoniam & egregium contentum pergunt, in  
vnico monochordo simplicissime diuiso, se exercent, tonos  
& sonos cognoscunt simplicissimos, sicque demum artem  
solide addiscunt, optime perficiunt. Aliter qui faciunt,  
nec artem, nec scientiam vnquam sibi acquirent, imo nullo modo perficient; quia nexum & valorem sonorum ignorant.  
Rem clarius videmus in infantibus, qui dum legere recte  
& scribere addiscant, prius valorem literarum, non solum  
in se talem, istiusque pronunciationem, sed & respectuum  
siue compositionem, vulgo *das Buchstabiren*, probe & sat  
diu debent cognoscere: aliter qui faciunt, male semper pro-  
nunciant vocabula, imo nunquam recte legere, multo mi-  
nus ita scribere addiscunt.

## XIV. Quam

## XIV.

Quām licet simplicissimam docendi rationem Mathe-  
sis vnice atque optime obseruet , id tamen circa istam in  
genere heic desideramus, multos sc., qui commode hanc aliis  
adplicare nituntur scientiis, in eo vt plurimum peccare , vt  
putent se tunc optime rem egisse, vbi definitiones, postulata,  
axiomata , theoremata , problemata, scholia, corollaria,  
aliae in methodo mathematica occurrentia vocabula ad-  
cumularunt, sicque deinceps res suas mathematice demon-  
strasse vel quasi , sibi persuadeant. Hi sane Matheſeos ho-  
nori detrahunt, & res ipsas, quas proponunt, non raro tur-  
bant, ludibrio exponunt, nec tali, nec risu se aliorum indignos  
maxime reddunt. Non enim absimiles videntur anima-  
libus illis , quæ , dum imaginem suam in speculo vel aqua  
conficiunt, latrant vel ad blandiri solent. Verum vti ne-  
mo heic ridebit speculum vel aquam , sed hanc potius lau-  
dabit : ita nec methodum mathematicam quis eiusmodi  
abutus participem debet reddere , ridere , sed homines lepi-  
dos hiacce abutentes illepede , nec recte saltem rebus adpli-  
cantes.

## XV.

Quemadmodum vero nemo ad veram & solidam ma-  
thematicam scientiam veniet , nisi hac via incedat : ita  
hoc porro subsidio eo nitamur , ne nobis ipsis immersi ,  
opinionum salebris inhæreamus, sed potius quid rerum pro-  
positarum naturæ consentaneum sit, respiciamus, id quod  
iam maxime desideramus.

**T A N T V M.**

anet. 9. VIX

Coll. düss. A 69, vusc. 1b